

D. D. I.  
LIBERALIS AC GENEROSI ANIMI VIRVM,  
QVI INSIGNEM BONORVM PARTEM  
APVD SCHOLAM COLLOCARE VOLVIT,  
*DOMINVM*  
**GREGORIVM MAETTIGIVM**

*M. D.*  
MESCHVICII, DVM VITA ERAT, DYNASTAM  
MERITIS CELEBRABVNT LAVDIBVS,  
*PROVT FERET FACVLITAS,*  
SEX ILLIVS BENEFICII BONAE SPEI ALVMNI.



AD AVDIENDOS EOS  
**MAGNIFICVM ATQVE AMPLISSIMVM**  
**SENATVM**  
METROPOLEOS HEXAPOLITANORVM,  
ET  
OMNES OMNIVM ORDINVM VIROS  
ERVDITOS AC BONOS  
OFFICIOSISIME INVITAT

---

DE  
**DIVINA VLTIONE**  
DICES ET NEMESEOS NOMINE  
ETIAM PROFANIS GENTIBVS AGNITA  
QVAEDAM PRAEFATVS  
**IO. GOTTFR. ZEISKE,**  
GYMNASII RECTOR.



BVDISSAE, E PRELO SCHOLTZIANO. 1755.





icen Nemesi cognominem vidimus, et ultimo loco confirmavimus, ΔΙΚΗΝ et in sacris litteris et apud profanos scriptores pro *ultione* usurpári. Ad illam vocis notionem, qua vindictam significat, illustrandam ipso titulo ducit *Nemesi Carolina*, et *ordinatio criminalis* Caroli V. in comitiis Ratisbonensibus elo lo xxxii. edita, cuius matrem Icti dicunt esse Bambergensem ordinationem, et forem eiusdem Brandenburgensem, de qua ex instituto commentatus est C. Thomafius et in historia iuris criminalis Struvius senior. Idem consilium videtur fuisse Ios. Sonnenbergii, propugnatoris sacrorum suorum acerimi, qui *Nemesin Romano catholicam* scripsit, id est, ut ipse exponit, *methodum, qua per presumptiones iuridicas ipsorum Protestantium sententias veram Christi ecclesiam liquidissime probari confusus est.* Nempe nihil egit aliud, quam ut Vindicias disciplinae suae proponeret, eadem credo mente et arte, qua ante ipsum usi erant Veronius, Walenburchii, Keddii, Malenius atque alii magno numero.

Sed persistamus nunc in exemplis hominum a sacris populi Dei alienorum ac velut supplementum eorum, quae diximus, scribamus: ubi occurrit Dice aliqua a Paulania rapta, violata, et ut scelus sceleris adderetur, interfecta, quae per fonnium parricidae verum acclamaverit: *Ἐστὶς δὲως ἄσπον, μάλα δὲ κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.* Revocamus etiam in memoriam, quod Aristoteles de mundo dicit, comitem Dei esse dicen *τῶν ἀπολεπομένων τὸ θεὸς νέμει τιμωρὸν,* quod interpretes convertit, *e vestigio comitem habet (Deus) iustitiae praesidem, quem dicen nominaverunt, divinae legis vindicem, simul ut quicquam sanctionum eius pratermissum est.* Sed Apuleius ita expressit: *euntem deum ultrix necessitas semper et ubique comitatur, eorum, qui a sacra lege diceferunt, vindex futura.* Apud Pindarum est in Olymp. v. fin. *ἔχομεν ἀμὲν κακῶν μέγῃ Νέμεισιν διχόβελον θεῖον.* Opto, ut (Jupiter) in donorum fatalem proventum *Nemesin contraria cogitantem ne immittat,* ut E. Schmidius vertit. Et quamquam indignatio invidiosa a viro doctissimo exponatur, nihil tamen impedit, quo minus pro iusta ultioné vocabulum accipiamus. Sophocles in Electra: *ἔστι δὲως, αἰτ, ὀφθαλμῶς, θεὸς παῖδ' ὄρα.* *Mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine iuristi: neque bonum neque malum facinus cuiusque pro nibilo haberi, sed ex natura diversa premia bonos malosque sequi.* ita Sallustius (quanquam Sallustio negat tribuendas esse orationes Carrio) orat. 2. ad C. Caesarem de rep. ordinanda. Apud Virgilium Trojani: *Si genus, inquit, humanum, et mortalia temittis arma; At sperate deos memores fandi atque nefandi: Ovidius: Adspiciunt oculis superi mortalia iusti.*

Aliis quoque rationibus et proverbii ultio divina celebrabatur et hominibus petulanter in crimina ruentibus terror incidebatur, cum deorum mole dicerentur *fero molere*: id quod in carminibus Sibyllinis, sed christiano magis more de uno Deo ita expressum est: *ὁ δὲ θεὸς μὴλοι ἀλλόσι τὸ ληθῆν ἄλευον.* Eodem respicitur alio adagio, quo dicantur *dei lancos habere pedes,* quae similitudine a taciturnis gressibus et minus observari solitis, ita tamen ut suo tempore *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς,* non ut in Comedia fieri consuevit, ad auxilium ferendum, sed ad penas infligendas accedat. Eodem sensu Horatius *paene claudum pedem vocat* et *ἔννεμα* Nemesin epigramma; et *tacitos fere paene pedes periuro homini minatur* Tibullus: quo trahimus illud, quod est apud Persium sat. ii. v. 24.

*Ignorantise (Jovem) putas, quia cum tonat, oculus illex  
Sulphure discutitur sacro, quam tuque domusque.*

BADISSE E. BRILLO SCHOLASTICO. 1729



Dicitur erat obscurissimus poeta: putas Jovem delicta tibi condonasse et pœnam remisisse, qui loca prius alia, quam te et domum tuam fulmine percussit: nempe cavendum, ne te sera vindicta ad ultimum occupet. Et hoc est, quod Plutarchus brevi libello persecutus est *περί βραδείας κολαζομένων υπό τὰ θεῶν*, seu *de iis, qui sero a Numine puniuntur*. C. Julius Cæsar id monet Helvetios l. i. c. 14. qui locus torus ad rem præsentem pertinet. *Quod sua, victoria tam insolenter gloriarentur* (id jam Nemelin et Dicen provocabat) *quodque tam diu se impune tulisse iniurias admirarentur, eodem pertinere. Confusese enim deos immortales, quo gravias homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere.* Valerius Maximus ab initio dîctorum factorumque memorabilium, nimirum capite, quod de religione inscriptum est, multa Romanorum et exterorum exempla adduxit, qui præcipue ob neglectam religionem vindictæ divinæ acerbiter sentierunt. Refert Junonem, inprimis Laciniam, Herculem, Apollinem, Æsculapium, Proserpinam, Ceterem ultos esse iniuriam sibi illatam et contemptorum suorum facta, quæ dicta nostra de diis deabusque ultricibus illustrare possunt; sed exemplo Dionysii gravissimam addit sententiam: *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.*

Jam tristes sane prima est illa ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur, ut Juvenalis satyr. xiii. pronunciat: quemadmodum animus Cutilinæ impurus diis hominibusque infestus neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem exitam vexabat: quo pertinent furæ, quibus veluti stimulis malæ conscientie agitari improbos et poëta et alii scriptores memorant. Sed ultima quæ restant, longe tristiora sunt, uti dignum moribus factisque suis exitum vitæ invenit Lepidus: quod ubi ad Sallustii catilinarium affert C. A. Rupertus in observationibus, rem Mauritiî, Adolphi et Alberti I. Imperatorum et eorum, qui hos occiderant, exemplo illustrat. Ridiculum animal apud Homerum in βατραχίῳ, non irridicule: *ἔχει, inquit, Θεὸς ἐκδικῶν ἔρμα.*

Ποινὴν σὸ τίσις μὴδὲν στρατῶ, εἰδ' ὑπαλῦζας.

Neque hic subsistit divina vindicta, sed dum prosperos successus impiis usque ad finem vitæ concedit, cuius rei causas sine dubio haber sanctissimas, supplicia de iis sumit graviora nullisque terminanda seculis, quod christiana disciplina sola rectissime exponit. Viderunt illud etiam gentes a divina luce alienæ, quæ Svindenii ac Barrovii est opinio, ut agi præcipites in sceleratorum sedem atque regionem impurissimos homines et multo sæviora quam mortem, cruciatus, crucem, et quidquid excogitare Phalaris aliquis possit, perferre crederent: Propertii locus est: *Sunt aliquid manes, letum non omnia finit: supplicia Ixionis, Tantalî, Tityi, Sisyphi aliorumque describit Virgilius atque alii, quos magno numero nuper adduxit Ranilchius commentatione mythologica pro suppliciis sceleratorum aternis adversus novissimum apocatastasos auctorem scripta.* Quantum vero illa et similia argumenta valeant, ponderavit Pfaffius V. C. in perpetuitate pœnarum infernalium ex ratione neque refutabile nec demonstrabili. Nobis sufficit, de plebe homines iis narrationibus fidem habuisse, quamvis non defuerint, qui hæc omnia riderent, et non tantum fabulas de penis illis post obitum subeundis, sed etiam omnia, quæ mortem comitantur et sequuntur, omnino negarunt. Juvenalis, cuius testimonio iam ante usi sumus, satyra ii. de moribus seculi sui canit:

Esse aliquos manes et subterranea regna,  
Et contum et stygio vanas in gurgite nigras,



PK 114. 150

7 3876374

Atque una transire vadum tot millia cymba,  
Nec pueri credunt, nisi qui nondum are lavantur.

A quibus tamen ipse dissentit, et graviter addit: *Sed tu vera puta. Existimetur sane Cæsar censuisse, nihil post mortem superesse, qui apud Sallustium oratione illa celebratissima mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse arbitrat: quæ verba interpretatur Cato in respon. credo falsa existimans ea, quæ de inferis memorant.* Negent Epicurei, quorum assecla strenuus est Plinius major, qui l. 7. c. 55. multa contra animæ immortalitatem et omnes manium ambages disputat, ac sensum inferis datum vocat puerilium deliramentorum avidæque nunquam desinere mortalitatis commenta. Credamus a doctissimis philosophis tantum fabulas vulgi et somnia vigilantium infamari: Sic enim Cicero pro Cluentio: *quid tandem illi mali mors attulit? nisi forte inceptis et fabulis ducimur, ut existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre.* Idem Catil. iv. *ut aliqua formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quædam illi antiqui supplicia impius constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis non esse mortem ipsam pertinendam.* Et in Tufcul. l. n. 10. *tricipitem apud inferos Cerberum, transvectionem Acherontis, mento summam aquam attingentem siti enectum Tantalum, Sisyphum et alia ridet.* Seneca consolatione ad Marciam: *illa, ait, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis annem, nec tribunalia, nec reos ullos in illa libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos.* *Luserunt ista poëta et vanis nos agitare terroribus.* Magis tamen sobrie idem Seneca, qui Marcie filium facto defunctum dicit integrum - - *totum excessisse, ad excessiva sublatum, inter felices currere animas, excipi a cætu sacro, quibus plane consentanea habet Cicero in Catone maiore et in somnio Scipionis, ita ut hoc quoque addat, impios corporibus elapsos circa terram ipsam volitare.*

Hæc, inquit aliquis, nimis vulgaria et usu trita sunt: cui enim non dictus Hylas? at certe sunt necessaria, ut præcipue adolescentes admoneantur, non esse vana aliqua impunitatis spe peccandum, cum non Nemesis aliqua et Dice; sed revera Numinis summi vindicta iustissima sit expectanda iis, qui in flagitia proruant; et ut exemplo gentium profanarum in ruborem dentur, quæ ultorem deum crediderunt.

Præmittenda hæc duxi orationibus memoriæ MAETTIGII dandis, quæ vita in conspectum publicum producent, quibus indigni beneficiis fiunt homines, beneficiis non tantum humanis sed etiam divinis. Itaque Carol. Gottlob Schneider, Purfchvic. ad Budist. L. græco sermone impietatem detestabitur; Superbiam perstringet Carol. Gottlob Kræbel, Domitio Misa. carmine germanico; inmodestiam latin. serm. *Mattheus Pannach*, Schmolensf. ad Bud. Ignoriam Georg. Schmidt, Naundorf. Misa. poematio germ. *Luxuriam* lat. orat. *Michael Schmaler*, Purfchvic. Lus. et denique Jo. Cornelius Wilhelm, Budist. soluta orat. germ. *Ingratum animum* castigabit et auditoribus gratam mentem testabitur. Ab amplissimis Viris P. C. reliquisque Patronis ac Fautoribus, ut ad hæc solennia confluant, securius rogamus, quia ipse MAETTIGIVS posteros hoc beneficio in scholam, reip. particulam, collato, sibi ad istud quicquid est officii obstrinxit: id tamen ne nobis desinam, qua possumus, observantia, ab omnibus rei scholasticæ amplificatoribus expetimus atque expectamus.

Budisini P. P. vigil. dominic. Invocavit, paulo ante diem Gregorii.

111



Fr. 174.  
6d

II h  
750

D. D. I.

LIBERALIS AC GENEROSI ANIMI VIRVM,  
QVI INSIGNEM BONORVM PARTEM  
APVD SCHOLAM COLLOCARE VOLVIT,

DOMINVM

GREGORIVM MAETTIGIVM

M. D.

MESCHVICII, DVM VITA ERAT, DYNASTAM  
MERITIS CELEBRABVNT LAVDIBVS,

VT FERET FACVLITAS,  
BENEFICII BONAE SPEI ALVMNI.



AD AVDIENDOS EOS  
MATQVE AMPLISSIMVM  
SENATVM  
EOS HEXAPOLITANORVM,

ET  
OMNIVM ORDINVM VIROS  
RVDITOS AC BONOS  
OFFICIOSISSIME INVITAT

DE  
NA VLTIONE  
NEMESEOS NOMINE  
ANIS GENTIBVS AGNITA  
AEDAM PRAEFATVS  
OTTFR. ZEISKE,  
GYMNASII RECTOR.



PRELO SCHOLTZIANO. 1753.

